

# Formula Marculfina aevi Karolini 1 (lat) [Salzburger Formelmateral]

INDICOLUM AD QUEMLIBET EPISCOPUM SIVE ABBATEM VEL COMITEM

Venerabili<sup>a</sup> in Christo patri **n** episcopo ego **n**, acsi<sup>b</sup> indignus alumnus vester, aeternam vobis in Domino per has exiguitatis litteras opto fore salutem<sup>c</sup>

Deinde suggerimus almitatem vestram, ut illas iustitias nostras, quae in ipso vestro ministerio adiacent, pleniter inquirere faciatis et per ipsum missum nostrum, quem ad vos direximus<sup>d</sup> quicquid exinde agere potueritis, nobis innotescere studeatis. Insuper etiam petimus benivolentiam vestram, ut nobis aliquid de silva ad opus ecclesiae nostrae vel monasterium<sup>e</sup> nostrum restaurandum dare iubeatis, quantum vobis possibile fuerit. Sic exinde agite, quomodo per vestram benivolentiam confidimus. Et si nobis aliquid tale iniunxeritis, scitote omnimodis nos cum omni benivolentia vestram obsecundare iussionem.

VALETE<sup>f</sup>

<sup>a</sup>Venerabili] verbessert zu venirabili  $M_4$

<sup>b</sup>acsi] ac si edieren Roc, Roz

<sup>c</sup>salutem] sa $\bar{M}_4$

<sup>d</sup>direximus] verbessert (von der gleichen Hand?) zu direxerimus  $M_4$ ; direxerimus edieren Roc, Roz; direximus ediert Zeu

<sup>e</sup>monasterium] für monisterium  $M_4$ ; so auch Roc, Roz, Zeu

<sup>f</sup>VALETE] VAL $\bar{M}_4$ ; dahinter Rasur(?)